

ritus Sancti non injiciatur mentio, vel DEUS non appelletur, sufficit si alibi istius vel fiat mentio, vel nomine DEI insigniatur.

XXVIII.

At Pneumatomachi hoc in primis urgere videntur, quod Spiritus Sanctus nullibi adjungatur patri & filio ubi patris & filii fit mentio, sic enim discurrunt: si Spiritus est eiusdem divinitatis cum patre & filio, debet ubique illis connumerari: sed hoc non fit. Ergo non est eiusdem divinitatis.

Respondemus, Iniquum est necessitatem Apostolis, (vel Spiritui Sancto, qui per Apostolos locutus) imponere, quare sic, & cur non potius ita vel ita scripserit. Athanasius in Epistola ad Serapionem. Visum ita fuit Spiritui Sancto, cuius inspiratione Sacrae literae sunt conscriptae. Coniungitur Patri & Filio in Baptismo Matth. 28. in ipso aditu Christianismi, item 2. Corinth. 13, 13. quibus contentos nos esse decet.

XXIX.

Vel si ita statim argumentari licet, Spiritus S. non adiungitur in omnibus locis Scripturae Patri & Filio, Ergo non est DEUS, cur non eodem modo concludas, nec patrem nec filium esse DEUM? Nam Luc. 11. v. 13. Pater dat Spiritum sanctum petentibus Joh. 14, 26. Pater mittit Spiritum Sanctum 1. Corinth. 3, 16. Templum Dei sumus, quia Spiritus DEI habitat in nobis. Hic nulla fit mentio Filij seu Christi. Ergo non est DEUS? Sic Spiritus cum Filio coniungitur & Patris nulla fit mentio Joh. 1. v. 33. Luc. 12. v. 10. Rom. 9, 1. In quibus dictis Patris nulla injicitur mentio; concludere autem nemo, nisi extra rationis terminos projectus sit, potest, patrem non esse DEUM. Quam responsionem jam dudum Pneumatomachis dederunt Patres, in primis Athanasius in Dial. de Trinit. contra Anomeos, ubi haec & similia dicta collegit, ex quibus constaret, quandoque DEUM & hominem aliquem praeteritis Filio & Spiritu Sancto; quandoque DEUM & Spiritum S. praeterito filio nominari, nec tamen inde sequitur, aut Filium non esse DEUM, aut omnino nihil esse praeter hominem & DEUM.

30. Quod